



Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Invste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 9. Pulchrum ab eloquentia nomen qui sint fortiti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

152 Cap. IX. Honor coniugibus, dominis,
vicissim Magi, quia principum religionis
Iudaicæ sapientiæ plurimum tribuebant, il-
lorum autoritatem secuti, in Bethlehem
peruenerunt, Christumque Deum, quem
quæsierant, inuenierunt. Ad Physicum re-
ferendum est illud, quod de Aristotele me-
moratur, eum ab Alexandro Magno, pro
descriptis animalium naturis, subministratis
omnibus sumptibus, præmium insuper la-
boris accepisse octoginta talenta, hoc est,
secundum quorumdam calculum, corona-
torum aureorum millia quadringenta octo-
ginta: quemadmodum & Xenocratem Phi-
losophum quinquaginta per legatos talen-
ta, aureorum videlicet millia triginta. Illo
autem recusante, quod tanta pecunia dice-
ret sibi opus non esse, legatis reuersis di-
xit Alexander: *Quid? nulosne habet amicos,*
quibus beneficiat? ostendens diuitibus opti-
mum usum pecuniarum, si quidem ijs be-
ne erogandis, quam male defodiendis uti
malint.

§. IX.

Pulchrum ab eloquentia nomen qui sint
sortiti?

De oratoribus, & Pœtis magnificè ho-
noratis, præcedente capite etiam multa dixi.

Hic

benefactorib. rerum peritis, amicis debitus. 159

Hic tantum adijcio, Dionem historicum, ob insignem facundiam, *Chrysostomum* fuisse appellatum: quod nomen etiam Ioanni epistolo Constantinopolitano, inter Ecclesias Patres, eloquentissimo est attributum. Cuius aureo ab ore, aureum orationis fluamen manabat; & quoties è cathedra loquebatur, rosas loqui videbatur. Sine numero sunt talia. Ut enim Pericles, propter sumam eloquentiam, qua fulgurare & tonitrua ciere videbatur, *Olympij cognomen* meruit; ut Sophocles, propter sermonis dulcedinem, *μέλιτη*, seu apis nominabatur; ita & alij ab eloquentia nomen honorificum acceperunt. Nam, ut Plutarchus scribit, *Æmyliorum genus à dulci facundia leporeque est nominatum: αἱ μυλίαι enim lepiditas dicitur.* Vnde etiam *Lepidi cognomen* assumpsere; à quo procul absunt, qui ore & sale carent, & rore pascuntur, more cicadarum.

Plutarch,
in The-
mistoce,
Gyrald.
lib. 7. hist.

Poët.

Vide Plin.
lib. 11.
c. 36.

§. X.

Amici cur honorandi?

8. Amicos honore dignos quisque censet, qui ipse vult expectatque ab amicis honorari. Eos colendos esse, docet Deus, qui ipse amicos suos honorat, *Mibi autem ni-*

Psal. 138

mis 17